


ap

1

10
Hdg

- 1 Syllodum Insybericus
- 2, Ignat. Diasconi Tetrapicha in Tab.
ægypticas --
- 3 Vita Joh. Thusti.
- 4 Mayer de Pothar. d. Bone Lutheri
conjug.
- 5, De con- & disjunctu fundamentali
- 6, De Defect. Ad in Cœce.
- 7, De Circulatione sanguinis
- 8, Antiquitates Alemannicæ
- 9 Exaltatio Ad.
- 10 Ecclésiæ Colonicæ
- 11, Abusus Gymnasiorum in rebus Scis.
- 12 Balnea vaporosa.
- 13 Gratulatio Electori et Senatori Sarg.
aut. Wunschal Luncat. Schul.
- 14 Einsegnung d. Jungw. d.
- 15 Cor Rharavnis Darum.
- 16, Observat. hist. etij, a Gulickio parente
optimo.
- 17, Diss. exeg. ab eodem
18. Curiositas in
Gymnasiorum
- 19 De Idolis Directata in disputat.



pag. 653; XV.

- 20 De anima recens iustocatorum resisten-
da
21. De Proscopia -
22. Causa leit. Var. in N. D.
23. Eni quosq. attributa.
24. Ad Luc. 12, 14.
25. fin. 2. prot. Suidhricum ab avo.
26. allegor. Iulianus de Suidhric. Stappus.
27. Tentat. Abrahami a parente optimo
28. adversus Calvinianos

ΓΑΒΡΙΟΥ,
 ἢ μᾶλλον
 ΙΓΝΑΤΙΟΥ ΔΙΑΚΟΝΟΥ
 ΤΕΤΡΑΣΤΙΧΩΝ
 εἰς μύθους Αἰσωπικὰς
 ΔΩΔΕΚΑΣ,
 Sive
 GABRIÆ,
 seu potius
 IGNATII DIACONI
 TETRASTICHORUM
 in Fabulas Æsopicas
 DODECAS

Octuplici Versione Metricâ Latinâ,
 cui Notæ quædam adjunctæ,
 induta

CHRISTIANO GILBERTO,
 BELGERANO.



D R E S D Æ
 Typis JOHANNIS RIEDELII,
 ANNO M DC LXXXIX.



*SUMME REVERENDIS,
MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS ATQVE
EXCELLENTISSIMIS
DUUMVIRIS THEOLOGIS,*

DOMINO

**D. PHILIPPO JACO-
BO SPENERO,**

Sereniss. ac Potentiss. SAXONIÆ ELECTORI à
Concionibus Aulicis Primariis, Confessionibus Sa-
cris, & Protosynedrii Ecclesiastici, quod
Dresdæ est, Assessori, &c.

Nec non

DOMINO

**D. SAMUELI BENE-
DICTO CARPZOVIO,**

Ejusdem Protosynedrii Assessori, Ecclesiæ Dresden-
sis ad D. Crucis Pastori, vicinarumque Su-
perintendenti ac Scho-
larchæ, &c.

DOMINIS AC PATRONIS

*Omni observantiâ humillimè
colendis.*

Qvi

QVI VOS, VERENDI MAXIME VIRI,
alloqvor,
ANTISTITUM *sanè docentum* PRINCIPES,

Tutela nostri, Spesqve Maxima, Optima,

Pauperrimarum Cultor ah! Parnassidum

Non nudius sum tertius. Diu, diu est,

Qvod Lipsicis, quas ingredi vix cœperam,

Avulsus atque raptus Umbris transigo

Inutiles obscurus annos, nec mihi

Pallas serenò ridet alma lumine.

Quid namqve rideat? Cui vix splenduit

Sal orbe patriò, cuiqve nec boves

Avita jugera exarant, qvî possiet

Biverticis subire montis culmina?

(O culmina haud minus labore perdiò

Et lucubratis obtinenda noctibus,

Qvam rerum agendarum potenti maximè

Nervò atqve telò, divite auri pondere!)

Vel, quas Caballina excitavit ungula,

Dignè scatebris prolui? Addite, obsecro,

Bis quarta qvod jam bruma vertat, cum mihi

Lavernionis improbissimi manus,

Qvam abominatus odero usqve, copiam

Omnem librorum surpuit, sicqve, aureum

Ne potitare nectar Hippocrenidum

Liceret, ausu fecit indignissimò.

Ita destitutus omnibus, qvæ Pallados

Ad Sacra spectant, remque literariam,
Parcè novenas, imò nullus, plusculis
Exosculatus Virgines sum messibus.
Cui proinde, cui, rogo, videbitur
Miranda res, venam ingenî, si qua infuit,
Mihi universam exaruisse, & squalidò
Torpere me totum ac Apollinem situ?
Sic cernimus nullò subactos vomere
Sylvescere agros, obtegiqve sentibus.
Sic, nulla ferrum quod manus versaverit
Ufu frequentiore, paucos post dies
Rubiginem sentire foedam cogitur.
In gratiam tamen meis cum Musulis
Redire gestiens, Pelasga Gabriæ
Ignatiive Græculi (quis verior
Horum sit Auctor, Eruditi disputent!)
Æsopicas in Fabulas Tetrasticha
Sermone jussi Romulò octies loqui.
Bissena Vobis hîc PATRONI, Carmina
(Nam reliquos tot redditos metris Logos
VESTRA reservo pace tempori alteri:)
Ego affero dicoq; Fronte candidâ,
Hoc quicquid est laboris, intuemini,
Ac, si rogare haud improbum, sanctos, precor,
Admittite in sinus. Jovi minuscula,
Pingvissimis præ ditiorum victimis,
Identidem placere farra si putat

Gens

Gens Christianæ Veritatis nescia,
Num grata non futura VOBIS augurer,
Quæ pauculis conscripta libo paginis?
Quin spes hiantem me tenet non irrita,
Benigniores præbituros hisce VOS
Mentes Camœnis; forsit & svavissimam
Portûs quietem? Hunc si merebor, & meis
Æquam lacertis spartam, ero in Jovis sinu,
Gratisque semper prædicans VOS laudibus
Ad astra cœli ferre nunquam desinam.

*Summè Verendi Amplisimique Nominis
Vestri - -*

usqve ad urnas - -

Cultor addictissimus.

Christianus Gilbertus,
B. M.

A 3

BENE-

BENEVOLO LECTORI S.

Sisto hic conspectui Tuo *Gabrie* vel *Babrie*, aut si ma-
vis, *Ignatii Diaconi* (trinò enim hòc nomine Tetrastichorum istorum Aucto-
rem Eruditi maētant,) Fabulas XII. priores, octuplici Carminis genere in La-
tinam Civitatem à me adscriptas. Est ille quidem, fateor, tenuis Scriptor,
quiq; ad locupletandum Graejæ lingvæ thesaurum parum, aut omnino nihil faciat:
non inutilis tamen Juventuti, utpote qui paucis præclara multa doceat, ac totam
Fabellam quatuor versibus non ineptè complectendo facili sua brevitate cuius
haud injuria placere mereatur. Quam voluptatem ex ejus lectione ceperim, to-
ties repetita Versio loqui potest. Utut enim optimus hic Nugò alicubi syllaba-
rum quantitates aliter dimetiatur, quam principes Græcorum Vates, ob pauculos
tamen navulos eum indignum, qui manibus teratur, aut extra Orbis terminos pe-
nitus eliminandum esse, vix ac ne vix quidem arbitror. *Sunt in ipso sanè,*
quæ apud alios frustra quaras, asserente vel Raphaelengio, vel Jos. Scaligero *Ob-*
servacionibus ad Auctarium Fabularum Phædro adjectarum p. 47. Taceo Vos-
sium ac Barthium, (at quantos Viros!) qui eum non modò in Bibliothecis suis
instructissimis asservare, sed etiam in dudum evulgatis Scriptis quæ mentionem
ipsius facere, quæ testis vicem adhibere nulli dubitaverunt. Quibus maximis rei
literariæ Statoribus cum *bonus & innocuus hic Fabulo* (verba Joh. Fidleri ex Dedic-
tione ad Sam. Schmidium affero) *in manibus & deliciis fuerit,* quis vitio vertet, me in
eò transferendo aliquam insumpsisse operam? Neq; tamen solum hìc illam subsiste-
re patior, sed Indicem vocabulorum Græcorum in omnes LIV. Fabulas jam ador-
no, inque eò sum, ut Jos. Scaligeri, Fabii Paulini, Joh. Fidleri, & octuplicem, imò,
addita Elegiaca, novies iteratam meam Translationem metricam, nullibi fere non
ejuscemodi Annotatiunculis, quarum, sed inter manus natarum, gustum vides, sti-
patam, luci publicæ propediem, si Deus vitam concesserit, committam. Quod
si fuerit, qui sumptus ad imprimendum necessarios liberaliter velit erogare, Is.
Nic. Neveleti ac Dn. M. Joh. Henningii nuperrimas Notas unicuique Fabulæ sub-
jungam, ut absolutus quasi quidam Commentariolus in probissimum hunc Au-
ctorem extet. Tu verò B. L. his interea mecum fruire, ac ut notissima Horatii
ex lib. I. Epist. VI. v. 65. verba quoque mea faciam.

- *Si quid novisti rectius istis,*
Candidus imperti. - -

Vale, & si mereor, fave, Dab. Dresdæ d. 24. Febr. A. E. G. 1689.

J. J. FA-



J. J.
FABULA I.

Περὶ ἀνθρώπου καὶ λιθίνου λέοντος.
De Homine & Leone lapideo.

Ἀνδρὸς προσὶνπαλεῖτο πέτρην ἑλέων.
Καὶ τις λέοντί φησι, τὴν ἰσχὺν βλέπεις;
Ἀλλ' εἰ λέοντες, εἶπεν, ἤδησαν γλύφειν,
Πολλὰς ἂν εἶδες ὄντας ἀνθρώπου λίθους.

Ἐπιμύθιον.

Ὅτι ἐπ' ἀρετῇ εἰ δεῖ σεμνύεσθαι.

I. *Versus Jambici.*

PLantis Leonem Vir subibat faxeum.
Tum quis Leoni: Robur istud conspicias?
Cui ille dixit: Si leones sculpere
Scirent, videres faxa plurimos viros.
Ne gloriare de tuis virtutibus.

II. *V. Scanzontes.*

Vir faxei Leonis ora calcabat.
Tum quispiam: Quod robur, ô Leo, hîc spectas?
Cui is: Genus si sculpsê sciret, heus, nostrum,
Quot faxeorum cerneres virûm formas?
Nullum decet virtutibus suis tolli.

A

III.

III. V. Trochaici.

Saxeum insiftens Leonem Vir premebat calcibus.
Hic Fero (a) quidam: Videsné, quanta sint hæc robora?
Si Leonum, reddit ille, gens valeret sculpere,
Plurimos vultus virorum saxeorum cerneres.
De tuisinet gloriari nescias virtutibus.

IV. V. Heroici.

Saxeum Homo quidam subigebat calce Leonem.
Mox aliquis: Cernisné, Leo, quæ robora? At ille:
Magnanimûm nossent si secula bruta leonum.
Sculpere, mille viros excisos rupe videres.
Qui polles virtute, animos attollere noli.

V. V. Choriambici.

Stabat marmoream Vir pedibus suffodiens Leam.
Cui sic nescio quis: Qvalia sunt robora, quæ vides?
Sed responsa tulit: Sculpere si gens mea possiet,
Complures videas esse viros saxa rigentia.
Ne virtute tuâ, ne intumeas, quisquis es, ô homo.

VI. V. Phalæcii.

Quidam Phidiacâ manu politus
Stabat marmoreum super Leonem.
Olli præteriens Vir alter ista:
Quantum roboris hoc, quod intueris?
Hic contra: Didicisset alta quod si
Æqvè sculpere natio leonum,
Vultus innumeros virûm videres
Durô marmore montibusque factos.
Ne quis viribus insolescat altè.

VII. V. Sapphici.

Saxeum calcans pedibus Leonem.
Saxeus stabat vir ita arte factus.
Hic ei quidam: Viden' ista quæ fit

Roboris

Roboris virtus, Leo, quæqve moles?
Ille sed contra: O utinam ipse, & omnes
Sculpere (b) scirent itidem Leones,
Saxeas certè pariter virorum
Cerneret citra numerum figuras.

Comprimat grandes animos potenti
Robore præstans.

VIII. V. Anapæstici.

Quidam de rupe politum
Pressabat calce Leonem.
Hic alter: Robora summa
Annon fateare necesse est?
Ille ast: Cognata Leonum
Si sculpere turba valeret,
Fabrefacta è marmore cæsò
Hominum quod millia starent?

Virtus quem pulchrior ornat,
Fastu haud tollatur in altum.

NOTÆ ad FAB. I.

III. (a) *Ferum* pro Leone Phædrus substantivè dixit Lib. I. Fab. XXII. v. 8. & Lib. II. Fab. II. v. 6. Edit. Schefferianæ. *Speciatim notare Equum, & alios ante, & se postinde ipsum ad Petronium notasse.* ait Casp. Barthius Animadvers. ad Papinii Statii Lib. II. Sylv. I. v. 89. De omni enim quadrupede ac majori animali hoc vocabulum usurpatur. Sic idem Phædrus *Ferum* appellavit *Aprum* Lib. IV. Fab. III. v. 3. Sic *Ceræum* Lib. I. Fab. XIII. 9. exemplò, credo, Virgilii, cujus imitator non infreqvens est, qui Lib. VI. Æneid. v. 489. de cervò loquens ita:

Peccabat q₃ ferum, puroq₃ in fonte lababat.

Sic *Asinum* Horatius Lib. I. Epist. XIII. v. 8. Sic Claudianus Epigram. VII. v. 8. *Taurus* dixit *Feros*, uti quidem ex Codice suo legit ac interpretatur Barthius, quem vide Animadvers. ad cit. locum p. 1015. b. & Buchnerum in Thesaurò Fabri interpolatò sub hâc ipsâ voce.

VII. (b) *Sculpere scirent*] SC. SP. ST. vocabuli præcedentis ultimam vocalem brevem producere, multis locis Virgilii, Statii, Prudentii, Senecæ, Martialis, aliorum clarum esse, tradit sæpius laudandus Barthius ad Claudiani Bellum Gildonicum v. 126. Cum verò Nobilissimus Vir nulla nominatorum Poëtarum ex-

empla isthic proferat, placet hic aliqua, nobis ipsis observata apponere. Ita
autem, Virgilius Lib. IX. Æn. v. 37.

Ferte cisi ferrum, date tela, scandite muros.

Martialis Lib. II. Epigr. LXVI. Edit. Farnabianæ.
Ut digna speculo fiat imago tuo.

Idem Lib. V. Epigr. LXX.

Quid gladium demens Romana stringis in ora?
Juvenalis Sat. IIX. v. 106.

*Referebant nasibus altris
Occulta spolia, & plures de pace triumphos:*

Gratius Cynegetico, citante Barthio ad Statii Lib. II. Theb. v. 248. p. 409.

*Post ubi proceris generosa stirpibus arbor
Se dederit.*

Prudentius Plochomachiâ v. 41.

*Virgo Pudicitia speciosus fulget in armis. Ibid. v. 505.
Stant tuti Rationis ope, stant turbine ab omni Immunes.*

Idem Apotheosi v. 351.

In pecude stultum est sic credere sacrum.

Idem in Passione Romani v. 86.

*Hoc tu parâsti, perditæ, spectaculum. Et v. 321.
Vis una Patris, vis & una est Filii,
Unusq; ab unô lumine splendor satus.*

Tertullianus Fragmento de Jonâ & Ninive v. 40.

Palpitat antemna stridens: labor horret ab altô.

Ad quæ Franciscus Juretus Vetusissimi Grammatici, Terentiani Mauri sequen-
tes versus adducit.

*Spondæum gemina possunt formare sonora.
Exemplis, an præva sequar, vel recta probabo.
Quisq; scire cupit, vel quisq; scribere curat.
Ante stare decet, quum dico & separo verbum.
Ante Steschorum catem natura creavit.*

Hujus itaqve eruditissimi Scriptoris præceptum, ac maximorum Poëtarum
auctoritatem secuti & hic, & aliis, sed perpauca horum Carminum locis istâ li-
centia sumus usi. In plurimis autem penitus negleximus, exemplis itidem
summarum in Latino vatum. V. infr. ad Fab. IV. Lit. h.

FA-



FABULA II.

Περὶ λέοντος κοιμωμένου, καὶ μύου.
De Leone dormiente & Mure.

Λέοντος ὑπνώτητος, ἀρχέντος μέσον
Ἄδιεδρομὸν μῦς ὅς δ' ἀνέστη σιωπῶντος.
Γελαῖ δ' ἀλώπηξ, καὶ λέων ἀπεκρίθη.
Οὐ μὲν πῶμα, τὴν ὁδὸν δ' ἀνατρέπω.
Ὅτι εἰ δέη καὶ μικρὸν περιφρόνησιν ἀποτρέφεται.

I. Versus Jambici.

Collo Leonis dormientis Musculus
Inambulabat. Ille se mox erigit,
Vulpeculæq; tale ridenti refert:
Non sum timens, cursum sed avertō gravem,
Vel parvulam ne temne contumeliam.

II. V. Scazontes.

Stertente Mus super Leone currebat;
Quem sentiens ille ocyus surrexit.
Vulpeculâ ridente, sic Leo fatur:
Pavesco nil, sed bestiae haud fero cursum.
Exilis haud temnendus hostis est ulli.

III. V. Trochaici.

Dormientis per Leonis colla Mus rigentia
Curfitabat; surgit ille, quam potest celerrimè.
Risit adstans fortè Vulpes. Cui Leo deinde ait.
Non quidem tremisco; verùm turbo cursum impios.
Sit licet non magnus hostis, vix tamen spernendus est.

IV. V. Heroici.

Fortia sopiti dum Mus per colla Leonis
Ambulat, eripuit somnum, exegitq; cubili.
Vidit & irrisit Vulpes. Leo talia verò:
Nil tremo; bestiolæ sed cursum rumpo molestæ.
Sint abjecta licet, tamen haud temnenda putabis.

V. V. Choriambici.

Somno compositæ colla Leæ parvus identidem
Circum Mus eqvitans forte erat. (c) Hæc se levat ocyter.
Vulpes risit. Ei sed Fera (d) mox: Non metuo quidem,
Sed tantum improbuli turbo gravem cursum animæculi.
Parvas hostis opes exigui despicias cave.

VI. V. Phalæcii.

Oppressa irriguô Leæna somnô
Decumbebat humi. Perambulavit
Hic Mus colla Feræ jubasq; parvus,
Ac fecit citò surgere excitatam.
Quod fortè adspiciens dolosa Vulpes
Risu penè ruit. Cui Leæna:
Non cor degeneri pavore tangor,
Sed cursus modò turbo permolestos,
Parvum despicias cavebis hostem.

VII. V. Sapphici.

Vieta cum molli Lea fessa somno
Duceret rhonchos, brevis (e) hic per ejus
Musculus currens scapulas quiete
Expulit, stratô & properè relictô.
Quod videns fallax, hilarem in cachinnum
Solvitur, Vulpes. Lea verò eidem:
Nil ego quicquam metuo; sed iste
Bestiæ cursus mihi non ferendus.
Magna sit semper tibi dignitatis
Curaqve famæ.

VIII. V. Anapestici.

Somnos carpente, (f) per herbas
Fuso sua membra, Leone,
Parvus per fulva cucurrit
Dorsa, ora, hinc Musculus inde.
Requiem cum rumperet ipsi,

Vul-

Vulpecularisfit. At ille:
 Nihil hinc formido; sed iste
 Mihi non tolerabilis error.
 Vel parvi nominis hostem
 Contra tibi fama tuenda est.

NOTÆ ad FAB. II.

¶ (c) *Circum Mus eqvitans erat*] Duriore Catachresi ἢ *ineqvitare* de Aurorâ ex-
 oriente usurpavit Appulejus Lib. III. init. *Commodum puniantibus phaleris*
Aurora roseum q̄vatiens lacertum cælum ineqvitabat. Et Lib. VI. p. m. 270.
ineqvitantem auroram dixit. Tribuuntur quidem ipsi bigæ. Virgilius Lib.
 VII. Æneid. v. 26.

Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

(Nam in istis ejusd. Poëtæ Lib. VI. v. 535.

Hæc vice sermonum roseis Aurora q̄vadrigris

Jam medium athereo cursu trajecerat axem.

per *Auroram* malo cum Farnabio intelligere *Solem*, cum Poëtæ quadrigas ei ad-
 scribant, & meridiem non *Auroræ*, sed *Solis* cursu circumloquantur; unde & idem
 Appulejus loco cit. p. 271. *meridiem solis* dixit.) Sed eqvitantem Deam face-
 re, quæ bigis vehitur, grandis sanè ἀνεργολογία est. Nisi sit, ut autumes,
 Madaurensem Philosophum illos secutum, qui *Auroram* à *Pegasô* eqvô vehi so-
 litam scripserunt. Quam in sententiam Natalis Comes Lib. VI. Cap. II. My-
 thol. hæc Lycophronis verba allegat:

Ἡὼς μὲν αἰπὺν ἀεὶ Φηγίης πάγον

Κραιπνοῖς ἰπῶν ποταῖο Πηγᾶσθ πλεροῖς,

Τιθωνὸν ἐν κόλῃσι τῆς Κέρνης πέλας.

h. e. Ipso vertente:

Aurora montem Phagium adsolaverat

Velocis altum nuper alis Pegasi

Cernam propè Titbonum in therô reliquerat.

Seu, ut nos obiter transferimus:

Aurora nuper Phagium in collem solans

Pernicibus subsecta pinnis Pegasi

Titbonon ad Cernam in cubili liquerat.

Huc si respexit Appulejus, excusari aliqua poterit. Potior tamen videtur aucto-
 ritas Virgilio. *Eqvitans* autem *erat*, idem est ac *eqvitabat*, i. e. percurrerat,
 Supra V. Jamb. hujus Fab. *Non sum timens.* Atq; ita probatissima Latini-
 tatis Scriptores. Sulpitius Severus, seqvioris quidem ævi, attamen, censen-
 te Buchnero in Thesauro Fabri locupletatô sub voc. Anterior: *elegans in Chri-
 stianis Scriptoribus auter*, quem solum hæc vice sistimus, Epistolâ II. *Eram*
residens

residens solus in cellula, i. e. residebam. Est verò elegans hæc locutio *ᾠροδογική* à Græcis petita, neq; tantum Aristoteli, Isocrati & aliis Græcanicæ facundiæ luminibus familiaris, verum etiam à Novi Testamenti Scriptoribus, & maximè B. Lucâ frequentata. Ita enim hic nitidioris Styli præcæteris Evangelista Cap. I. 21. Historiæ Evangelicæ. *Καὶ ἦν ὁ λαὸς ᾠροδοκῶν τὸν Ζαχαρίου.* Et erat populus expectans Zachariam, i. e. expectabat. Cap. II. 33. *Καὶ ἦν Ἰωσήφ, καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ θαυμάζοντες.* Et erant Joseph ac mater ejus admirantes, i. e. admirabantur. Cap. IV. 44. *Καὶ ἦν κηρύσσων.* Et erat prædicans, i. e. prædicabat. Cap. V. quinq; hæc periphrasi utitur, puta v. 1. *ἦν ἐστῶς,* erat stans, i. e. stabat. v. 16. *ἦν ὑποχωρῶν,* erat secedens, i. e. secedebat. v. 17. *ἦν διδάσκων,* erat docens, i. e. docebat. Ibid. *ἦσαν καθήμενοι Φαρισῆοι,* pharisei erant sedentes, i. e. sedebant. v. 29. *οἱ ἦσαν μετ' αὐτῶν κατακείμενοι,* qui cum illis erant accumbentes i. e. accumbebant. Cap. VI. 12. *ἦν Διγνουκτερέων,* erat pernoctans, i. e. pernoctabat. Idem Evangelista Actuum Apostolicorum Cap. 1. 10. *ὡς ἀτενίζοντες ἦσαν εἰς τὸν οὐρανόν,* cum essent defigentes in cælum oculos, i. e. cum oculos in cælum defigerent, seu, fixis oculis cælum intuerentur. Ibid. v. 13. *ἦσαν καταμύροντες,* erant commemorantes, i. e. commemorabantur. v. 14. *ἦσαν ᾠροδοκῶντες,* erant perdurantes, i. e. perdurabant, perseverabant, assidui erant. Et alibi. B. Marcus Evangelista Cap. II. 6. *ἦσαν καθήμενοι καὶ διλογιζόμενοι,* erant sedentes ac cogitantes, i. e. sedebant ac cogitabant. Cap. IV. 38. *ἦν καθεύδων,* erat dormiens, i. e. dormiebat.

(d) *Fera*] Quemadmodum supra ad Fab. I. Lit. a. *Ferum* pro *Leone* auctoritate Phædri posuimus: Sic & *Feram* pro *Leana* dici posse nulli dubitamus. Certè idem Phædrus, *Latinissimus elegantissimusq; scriptor*, judicio Schefferi in Præfat. Secundæ Editionis *Pantheram* vocavit *feram* Lib. III. Fab. III. v. 15. nec non *Leporem* Venantius Fortunatus, cujus verba Barthius Animadv. ad Bened. Paulini Petrocorrii Lib. IV. de Vita Martini v. 517. hæc allegat:

*Corruit ante pedes titubans lepus: advena supplex
Si non voce potest, flatu pro voce precatur.
Sic fera parva jacet Martini tegmine tutæ.*

Cæterum ut versus concinnior esset, mutavimus genus, & pro *Leone* *Leam*, ut & *Leanam* substituimus. Quod cum sensui Fabulæ nihil deroget, veniam habiturum speramus.

[e] *Brevis Musculus*] i. e. parvus. Claudianus Epigram. II. quod est de Hystrice, v. 40.

Ecce brevis propriis munitur bestia telis.

Idem

Idem Lib. I. de Laudibus Stiliconis, v. 42.

Nil breve moliri. - i. e. exiguum.

Idem de Bello Gildonicô v. 105 sub *ᾠδῶν ποποῖα* Romæ de mole seu magnitudine suâ conquerentis;

*Feliciores essem
Angustis opibus: mallem tolerare Sabinos
Et Vejos: brevior duxi securus ædum.
Ipsa nocet moles.*

Persius Satira V. v. 121.

Hareat in stultis brevis ut semuncia recti.

h. e. ut Farnabius explicat, *vel minima etiam sapientia mica aut particula.* Boëthius Lib. II. de Consolatione Philosophiæ, Prosâ VII. *Adde quod hoc ipsum brevis habitaculi septum plures incolunt nationes.* Pari sensu *brevisitas* doni legitur apud Claudianum Epigr. XXXIV. de Cingulô Equi Arcadii v. 11. *Brevisitas gurgustoli* apud Appulejum Lib. I. Metamorph. p. 155. Edit. Wower. A. 1596. *Brevisitas sensus* apud Dionysium Catonem Lib. IV. Distichô ultimô, ac ap. Gul. Britonem Lib. IX. Philippidos v. 741. qui & *breve fascium* pro lintre aut aliô minuto navigio dixit Lib. VI. v. 466.

VIII. [f] *Somnos carpente*] *Carpere herbas, flores, rosas, thyma, poma, pensa, cibos,* notissimæ sunt locutiones. Transfertur verò hæc vox etiam ad alia. *Carpere gaudia* habet Statius Lib. XI. Theb. v. 184. *Carpere oscula* Propertius Lib. I. Eleg. XX. v. 27. *Peditibus terras & pontum carpere remis,* idem lib. eod. Eleg. VI. v. 33. *Carpere laborem* Catullus in Argonauticis v. 310. *Carpere diem* Horatius Lib. I. Ode XI. v. 8. *Carpere iter* Lib. II. Ode XVII. v. 12. ac Lib. I. Sat. V. v. 95. *Carpere viam* idem Lib. II. Sat. VI. v. 93. *Carpere delicias* Propertius Lib. II. Eleg. ult. v. 74. *Carpere somnos* autem Virgilius Lib. IV. Æneid. v. 534.

*Æneas celsâ in puppi, jam certus eundi,
Carpebat somnos, rebus jam ritè peractis.*

Et Claudianus de Bello Gildonico v. 327.

*Tyrio quò fufus Honorius ostrò
Carpebat teneros Mariâ cum conjugè somnos.*

Quæ verba de *Josephô* loqui perperam autumat Basilius Faber in Thesau- ro sub voc. *Maria.* Quem errorem Aug. Buchnerum & alios Cl. Viros, qui post ejus obitum illum recognitum edidere, non vidisse miror.

FABULA III.

Περὶ λέοντος, καὶ κάπρης, καὶ γυπῶν.

De Leone, & Apro & Vulturibus.

*Λέων μάχην ἔστησε πρὸς κάπρην ποτὲ.
Γύπης δ' ἄνωθεν ἐσκόπευον τὴν ἔρην,*

B

Βρῶσιν

βρῶσιν τὸν ἡττηθέντα ποιῆσαι τάχα.
Φίλος δ' ὄρῶντες ἠσόχον τῶν ἐλπίδων.
"Ὅτι δὲ ἀλλοτρίοις κακοῖς ἐπιχαίρειν.

I. Versus Jambici.

Pugnam Leo ciebat Apro maximam,
Hoc conspicati Vultures sunt desuper,
Victumque prædæ destinârunt commodæ.
Elusa sed spes, pace factâ, corrui.
Ne gaudeas aliis infortuniis.

II. V. Sczontes.

Depræliaturus cum Apro Leo stabat.
Id Vulturum famelicum agmen observans
Victum hunc, vel illum destinabat in prædam.
Sed his amicis, excidère spe falsi.
Non est aliis cladibus triumphandum.

III. V. Trochaici.

Contra Aprum fetosiorum prælians stabat Leo,
Hancque conspicati pugnam sunt supernè Vultures,
Atque victum destinârunt esui gratisimo.
Sed resectâ pace votis exciderunt improbis.
Quum periclitatur alter, ne tibi hoc sit gaudio.

IV. V. Heroici.

Fulmineo torvus pugnam Leo moverat Apro.
Vulturum id adspiciens gens lætabatur, opimas
Et tacitè alterius sperabat corpora prædas.
Conventâ sed pace omnes spes ægra fefellit.
Fortunam alterius dubiam ridere cavebis.

V. V. Choriambici.

Contra fetigerum stabat Aprum bella movens Leo.
Id quod despiciens turba rapax Vulturum ab æthere
Prostratum alterutrum crediderat prædam hilarem fore.
Sed

Sed rursus inter eos pace inita, spes fuit irrita.
Lætari in dubiis alterius parce periculis.

VI. V. Phalæci.

Inpugnam tumidus ferumque Martem
Spumantem Leo provocabat Aprum.
Ex altô vaga Vulturum caterva
Tanti prælia conspicata belli
Devictum alterutrum sibi paratas
Ac dulces epulas fore autumabat.
Sed verò hic ubi pax renata amicos
Firmaret, cecidére spe universi.
Irridere cave periclitantem.

VII. V. Sapphici.

Prælia & bellum meditans cruentum
Stabat immanem Leo versus Aprum.
Vulturum prætervolitans ab alto
Æthere hoc postquam speculata turba est.
Gaudia exultans nova mente cepit,
Speque consumpsit tacitâ hunc vel illum.
Inter est ambos coëunte rursus
Pace, speratâ caruere prædâ.
Pravum, & haud æquum est, sibi lucrum aliis
Qværeere damnis.

VIII. V. Anapestici.

Pugnas initurus atrox
Cum sævo turbidus Aprô
Steterat Leo. Viderat illud
Ex aëre turba volucrum
Solis adsveta rapinis, (g)
Jam jam alterutrumque vorabant
Animis. Sed amore renatô
Spes irrita cesfit in auras.

Alieni fulmina casus
Tua ne tibi gaudia funto.

NOTA ad FAB. III.

VIII. (g) *Ad vetera rapinis*] Florus Lib. I. Cap. I. de iisdem avibus: *Ita illi ad-
sueti sanguine & pradâ aves pollicebantur.*

FABULA IV.

Περὶ δορκάδος καὶ λέοντος θυμωθέντος.
De Caprea & Leone furente.

Λέοντα δορκὰς ὡς ἴδεν μεμνηνόντα
Ἄμοῖρα θηρῶν, εἶπεν, ἀθλιωτάτη.
Εἰ σωφρονῶν γε δυσκάρηκτος εἰ λέων,
Πῶς νῦν μανεῖς ἔμεσά δακρυῶν δράσεις;
Ὅπ' ἐξ ἄσπίαν ἔχοντα ἔδει θυμῷ θάλασσαν.

I. *Versus Jambici.*

Furentem ut adspexit Leonem Caprea,
Pestis ferarum, dixit, ô dirisfima!
Si mente sanus continerier nequis,
Quæ non agas ploranda concitus Leo?
Iram coërceat, valet qui plurimum.

II. *V. Sczontes.*

Furente fors Leone Caprea adspectô
O flebilem ferarum, ait, vicem ac sortem!
Si nemo te sanum potest refrænare,
Quas jam furens heu! excitaveris strages!
Vim temperabit hic, cui potestas est.

III. *V. Trochaici.*

Fortè percitum Leonem Caprea irâ viderat.
Bestiarum, dixit illa, fata proh miserrima!
Mente sanus si recusas continerier, Leo,
Quasve cædes, quosve luctus non furens invexeris?
Non truces festinet iras, cui potestas plurima est.

IV.

IV. V. Heroici.

Caprea commotum quondam speculata Leonem,
Pernicies, dixit, vah! detestanda ferarum!
Si mentis compos nescis cohiberier, ô quas
Intuleris clades irarum percitus oestro!
Præcipitem haud furor abripiat, cui magna potestas.

V. V. Choriambici.

Infanam ut furiis blanda Leam Caprea viderat,
O quæ dira bonis & mala fors, inquit, adest feris!
Quod si sanam animi stringere te nemo potest lupis,
Vah! queis accipies jam rabida (h) stragibus obvias!
Iram frangito, vis quem penes est, atque potentia.

VI. V. Phalæcii.

Ut vidit rabidi Leonis ora
Pollens Caprea alacritate crurum
O clades, ait, atra bestiarum!
O vastum exitium asperæque sortes!
Sanum quod si etenim bonæque mentis
Te nemo pote continere quisquam,
O quæ non lacrymosa perpetrabis
Correptus validô furoris oestrô?
Iras non properent potentiores.

VII. V. Sapphici.

Territa advertit Caprea ut Leonem
Efferâ accensum vehementer irâ,
O vicem, exclamat, miseram! ô acerba,
Quæ imminent nobis, & iniqua fata!
Compotem quod si rationis ipsum
Nemo te frænis potis est lupatis (i)
Stringere, ah! quæ non lacrymanda jam jam
Hic dabis, tantâ furibundus irâ?
Principem magnum properata & ingens
Dedecet ira.

B 3

VIII.

VIII. V. Anapestici.

Iratum fortè Leonem
 Ubi Caprea cerneret æqua,
 O fors miseranda ferarum,
 Dixit flens atque gemiscens.
 Si sanum mente nec ullus
 Pote te frænando tenere,
 Quæ jam non dira patrabis
 Nimiâ lymphaticus irâ?
 Subitas non surgat in iras,
 Cui vis est plurima, Princeps.

NOTÆ ad FAB. IV.

V. [h] *Rabida stragibus*] SC. SP. ST. præcedentis vocabuli ultimam brevem longam reddere, ex iis puto, quæ ad Fab. I. lit. b. attulimus, patet. Quo magis tres consonas SCR. STR. & alias, hoc facere debere non injuriâ censeas. Martialis sanè, cujus versum supra dedimus, ita nobis prævit Lib. V.

Quid gladium demens Romana stringis in ora?

Prudentius Psychomachia v. 652.

*Cum jam progrediens calcaret littora sicco
 Ulteriora pede, stridensq; per extima calcis
 Mons rueret pendentis aqua.*

Idem Apotheosi v. 294.

*Quin potius scrutare Dei signacula in ipso
 Fonte Vetustatis: percurrere scrinia primi Scriptoris.*

Quomodo & Tertullianus scripsit, nec non præcepit Terentianus, ambo nobis supra adducti. Sunt tamen principum Poëtarum loca, quibus confirmari potest, hanc legem non adeò strictè esse observandam. Horatius enim Lib. I. Sat. III. v. 43.

*At pater ut gnati, sic nos debemus amici,
 Si quod sit vitium, non fastidire. Strabonem
 Appellat patrum pater. - Sat. V. v. 35. ejusd. Libri
 Inquimus insani ridentes premia scriba.*

Propertius lib. IV. Eleg. V. v. 17.

Consuluitq; striges nostro de sanguine.

Silius Italicus Lib XIV. v. 260.

Mille

- Mille Agathyrra dedit, perflataque Strongylos austris.*
 Lucretius Lib. VI. v. 194. durè quidem:
Speluncasq; Sider saxis ingentibus structas.
 Atque ita quoque Josephus Devonius Iscanus, veterum, & præcipuè Statii diligentissimus imitator, Lib. I. de Bellò Trojanò, v. 37. eleganti sententiâ:
 - - Venales quisquis Venatur honores,
 Unde ruat, tabulata struit. - Lib. II. v. 381.
Quum tandem exsiliens, trepidis Saturnia stratis
 Exclamat Pallas. - - Lib. III. v. 162.
Pinnarum suspecta strues. - - Lib. IV. v. 489.
Quod fatum, qua causa, patentq; hac singula scripto.
 Lib. V. v. 226.
Non defensuri properant Phryges, atq; ope spretâ &c.
 Lib. VI. v. 21. de apibus:
 - - Viduos dant agmina stridula q̄vestus.
 Cujus rei exempla fortè plura in Antiquitate diligens Poëtarum lector animadvertere poterit.
 VII. [i] *Frans lupatis*] Conjunxit hæc duo Horatius Lib. I. Ode IIX. v. 6.
Gallica nec lupatis Temperet ora frans.

FABULA V.

Περὶ λέοντος, ὄνυξ, ἀλώπεκος.
 De Leone, Asino, Vulpe.

Λέων, ὄνυξ κερδῶτε πρὸς ἡέραν ἰόν.
 ὄνυξ δὲ ταύτην εἰς τρίτον δεδασμένον,
 Λέων κατεσπάρραξε, κερδῶ δὲ πλέον
 Ἐνειμεν αὐτῷ σωφρονειθεῖσ' ἐξ ὄνυξ.
 Ὅτι δεῖ ἐξῶν πάσχουσιν ἕτεροι, παιδεύεσθαι.

I. Versus Jambici.

Vulpes, Asellus & Leo ad prædam iverant;
 Quam dividens trinis Asellus partibus
 Mox à Leone rumpitur. Sed doctior
 Vulpes Aselli clade, tradit omnia.
 Damnò ex aliis discito prudentiam.

II. V. Scazon'es.

Ivère venatum Leo, Asinus & Vulpes.

Hic

Hic tres Asellus cum secaret in partes,
Quod ceperant, Leo trucidat. At Vulpes
Cæde erudita cessit omne prædoni.
Prudentiam ex malis aliis addisces.

III. V. Trochaici.

Iverant prædatum Asellus, & Leo, & Vulpecula.
Raptam Asellô dividente partibus cervam tribus,
Ungve discerpit Leonis interit. Sed doctior
Clade Vulpes impotenti cessit omne bestia.

Damna, quæ quis quassatur alter, sint tibi prudentia.

IV. V. Heroici.

Cum Vulpe atque Asino Leovenatum iverat unâ.
In ternas prædam partes divisit Asellus,
Propterea discerpit eum Leo. Doctior autem
Morte ejus Vulpes cedit spoliis omne Leoni.

Hic sapit, efficiunt quem aliena pericula cautum.

V. V. Choriambici.

Venatum cum Asino, cumque vafrâ Vulpe ierat Leo.
Hic cum divideret prædam Asinus captam alacer tribus,
Sævo illum ungue Leo dilaniat. Sed nece cautior
Vulpes istâ Asini cuncta Fero tradidit improbo.

Felix, quem faciunt alterius damna cæcum ac mala.

VI. V. Phalæcii.

Venatum exierat Leo superbus,
Et Vulpes socia, ac iners Asellus.
Qui cum divideret tribus petitam
Prædam partibus, abs Leone durô
Exemplò laceratus est, truci que
Mortem supplicio miser subivit.
Sed Vulpecula clade docta tantâ,
Prædæ quicquid erat, dedit tyranno.
Prudens alterius sies periculis.

VII.

VII. V. Sapphici.

Et Leo, & Vulpes, Afinusque junctus
Iverant mollem Capream prehensum.
Quam feram trinis ubi diffecaret
Partibus simplex Afinus, cuique
Portionem æquam tribuens, Leonis
Concidit sævô laniatus ungue.
Strage sed Vulpes monita hâc eidem
Tradidit totam facilis rapinam.

O quater felix, aliena cautum

Quem mala reddunt!

VIII. V. Anapaestici.

Prædatum unâ ire placebat
Asino, Vulpi atque Leoni.
Hic trinâ ubi parte rapinam
Lentus laceraret Asellus,
Leo dilaniabat eundem.
Verùm Vulpecula, tali
Clade admonita, omnia sævo
Permisit deinde Leoni.

Quemcunque aliena docebunt
Exempla, erit ille beatus.

FABULA VI.

Περὶ ὄνου βασάζοντος ἰδωλον.
De Asino gestante Idolum.

Ἄμμοις ὄνον παρήγεν ἀργυρὸν βρέτας,

Ὅπερ συναντῶν πᾶς τις αὐτὸν ἐπρωσκύνει.

Τύφω δ' ἐπαρθεὶς, μὴ θέλων μένειν ὄνον.

Ἦκεσεν, ὃ θεὸς σὺ τὸν θεὸν δ' ἄγεις.

Ὅτι τὰς ἐν ἀξιώμασι πρωμένους θεῶν
γινώσκειν, ὅτι ἄνθρωποι εἰσιν.

I. Versus Jambici.

Asellus Idolon ferens argenteum

C

Quod

Quod obvii quivis colebant supplices,
Superbus ibat, esse Asellum se negans.
Audita vox: Non tu Deus, sed fer Deum,
Cum celsus emines, tui usque sis memor.

II. V. Scazontes.

Argenteum vehens Asellus Idolon,
Genu quod obvii recurvo adorabant,
Valdè tumebat, asinus esse jam nolens.
Sed audiit: Non tu Deus, Deum ast portas.
Tui memento, dignitate qui præstas.

III. V. Trochaici.

Bajulabat tergò Asellus ora Divi argentei,
Obvii cui procidebant supplices identidem.
Intumescens ergo fastu, & sese asellum jam negans
Audiit: Tu Numen haud es, sed modò gestas Deum.
Sorte qui splendes superbâ, sis tui semper memor.

IV. V. Heroici.

Idolon dorso portans argenteum Asellus,
Poplite quod flexo mirè obvia turba colebat,
Intumuit, se asinum esse negans. Vox insonat ergo:
Tu non ipse Deus, sed gestas numina Divi.
Sis licet excelsus, te hominem tamen esse memento.

V. V. Choriambici.

Gestans aureolam tardigradus tergò Asinus Deam,
Quam quivis coluit prociduò devenerans genu,
Fastu altè intumuit, seque asinum nesciit amplius.
Tum vocem audiit hanc: Non Deus es, sed modò eum
vehis.

Quum magno imperio præmineas, esto memor tui,

VI. V. Phalæcii.

Tergo imposta suo ferebat olim
Aurati simulacra Divi Asellus.
Cunctæ hunc poplite cernuo colebant,
Præsentem quod ei obtigere turbæ.

Quod

Quocirca tumidus superbiorque
Turpem sese asinum negabat esse.
Tum vox accidit ejus hæc ad aures:
Tu non ipse Deus, vehis sed illum.
Nullum tergemini efferant honores.

VII. V. Sapphici.

Affabrè fulvo assimilata in aurò
Isidem vectans humeris Asellus
Obviam ut vidit sibi prodeuntem
Supplicem stratò fieri popellum (k)
Corpore, insanò tumuisse fastu
Cœpit, ac sese haud asinum putare.
Audiit verò subitò hancce vocem,
Tu Deus non es; modò ferre nôris.
Sis tui semper memor, altâ honorum

Luce refulgens.

VIII. V. Anapestici.

Argentea numina Divæ
Dorso gestabat Asellus,
Qvem curvo poplite supplex
Orabat ut obvia plebes,
Fastus sub pectore cepit,
Asinum ac sese esse negavit.
Verùm audiit ista: Deum tu
Haud fers modò, nec Deus ipse es.
Magnò cum clarus honore es,
Te mortalem esse putabis.

NOTA AD FAB. VI.

VII, (k) Popellum] Horatius Lib. I. Epist. VII. v. 65.
Vilia vendentem tunicato scruta popello Occupat.
Persius Satira IV. v. 15.
Ante diem blando caudam jactare popello Desinit.

FABULA VII.

Περὶ παιδὸς ἐθίουτος σπλάγχνα.

De Puero comedente intestina.

Βοὸς φαγὼν παῖς εἰς ἐορτὴν ἔγκατα

Ὅμοι κέκληγ', ὡς σπλάγχνα, μήτηρ, ἐκχέω.

Ἡ δ' αὖ γελῶσα, μὴ φοβῆ τέκνον, ἔφη,

Τῶν σῶν γὰρ εἶδεν, ἀλλ' ἐμεῖς ἀλλοτρίων.

Ὅτι δὲ τὰ λώτριά ἀντιτρέφειν, καὶ μὴ γογγίζεν.

I. Versus Jambici.

Extā ederat bovis die in festo Puer.

Heu! viscera, exclamat, Parens, mea evomo!

Sed illa: Fili, ne time, ridens ait;

Tua ista ne utiqvam, aut alius evomis.

Quod non tuum est, ullō absque reddas murmure.

II. Versus Scanzontes.

Festō in die ederat puer bovilla exta.

Mox viscera heu! mater, mea evomo, clamat.

Ridens at illa: Pone, ait, metum, Fili,

Non sunt tua hæc, quæ viscera ore fluxerunt.

Nil murmura, quodqve haud tuum, libens redde.

III. Versus Trochaici.

Devoraverat bovilla viscera in Festō Puer.

Quæ vomens ah! mater, inquit, exta, mater, ah mea!

Illa risit, atque contra: Nate, dixit, ne time:

Istud omne, quod refundis, est alius, non tuum.

Absque murmuratione redde, quæ non sunt tua.

IV. Versus Heroici.

Tauri aliquo in Festō cupide Puer exta vorârat;

Quæ rursus eructans: Mater, mea viscero! clamat.

Risit ea, & nullus timeas, suavissime fili;

Non tua, at alterius vomis intestina, regessit.

Si qua aliena tenes, reddas sine murmure par est.

V. V.

V. *V. Choriambici.*

Extâ in luce sacrâ cocta bovis glutierat Puer.
Væ, mater, mihi! vœ! vœ! mea, ait, provomo viscera!
Ridens illa refert: Ne timeas, filiole optime;
Non hæc, non tua sunt, verum aliena omnia, quæ egeris.
Quod non esse tuum scis, domino reddo lubens suo.

VI. *V. Phalæci.*

Maçtati bovis exta devorârat
Quâdam in luce sacri Puer diei.
Quæ cum redderet evomens graviore
Ah! clamat mea, mater, exta, mater!
Subridens placidis sed illa ocellis:
Ne, Fili, timeas, ait, benignô
Verum sis animô. nihil tuum hic est.
Namque, ast alterius, quod extulisti.
Quæcuncq; alterius, libens repono.

VII. *V. Sapphici.*

Pluscula occisi Puer exta tauri
Ederat sacris Veneri in diebus.
Fœtido hæc rursus vomitu refundens,
Protinus, mater, mea, mater, exta
Omnia, exclamat, revomo. Illa verò:
Nate, ne tantô trepides tumultu.
Nil tuum hic quicquam est, alienum at omne,
Fauce quod ructans madidâ regêsti.
Quod! tuum non est, sine murmure, atque
Redde libenter.

VIII. *V. Anapestici.*

Bovis intestina vorârat
In festâ luce Puellus.
Mox, hei misero mihi! mater,
En! hic mea viscera, clamat,
Vomui omnia ab ore. Sed illa
Ridens: Ne, Gnate, pavescas.

Exta hic non propria, verum
 Vomuiti aliena. Videsne?
 Quâ quid ratione lucraris,
 Parili disperdis & illud.

FABULA IIX.

Περὶ ἀλώπεκος καὶ βάτους.
 De Vulpe & Rubo.

Φραγμὸς ἀλώπηξ ὡς ὑπερβαίνειν θέλει
 Ὀλιθανθῶσα, καὶ βάτους δεδραγμένη,
 Ἐξέσο πέλμα. λαιδορεῖ δὲ τὴν βάτον.
 Μέμφεσσεαυτήν, μὴ μέφξ, κείνῳ φάτο.
 Πρὸς τὰς τὰ ἑαυτῶν κακὰ σιωπῶντας,
 Τὰ δὲ τῶν ἑτέρων κατηγοροῦντας.

I. Versus Jambici.

Dum transilire nititur Vulpecula
 Sepem, Rubo prolapsa inhæsit horrido,
 Plantasque vulnerata, ei probra ingerit.
 Qvin tute temet, infit hic, nec me increpa.
 Conviciatur alterum, non se Malus.

II. V. Sczontes.

Sepem volante transgredi parans saltu
 Rubo implicata & impedita Vulpes est.
 Pedem ergò faucia increpat Rubum multis.
 At temet ipsam, hic inquit, improba, accusa.
 Sibi placentes alterum Mali allatrant.

III. V. Trochaici.

Plusculis conata sepem transvolare saltibus
 Senticoso tandem inhæsit hîc Rubo Vulpecula.
 Ergò vulnerata plantas impetit conviciis.
 Cui Rubus: qvin temet ipsam, pessima incusaveris.
 Alterum culpant maligni, at in suis cœcutiunt.

IV. V. Heroici.

Ausa levi Vulpes sepem transmittere saltu

Vepri



Vepribus incubuit rigidis, lacerataque plantas
Multa Rubo increpitans fecit convitia. At ille:
Qvid me, Stulta, petis? Tibi talia dicit o soli.
Incusant alios: reticent sua crimina pravi.

V. V. Choriambici.

Vulpes præproperis septa volens scandere gressibus
Sumpsit multam operam, seq; gravem nexuit in Rubum,
Non illæsa pedes. Ergo probris increpuit Rubum.
Verum hic: quin potius, quin tibi met dic malè, pessima.
Quidam est talpa suis, falco aliis in vitiis homo.

VI. V. Phalæcii.

Trans sepem volitare nisa saltu,
Quâ non callidior putatur inter,
Vulpes, esse feras, aculeatis
Hæsit sentibus & Rubo implicata est.
Plantas hinc lacera atque vulnerata
Multis criminibus Rubum appetivit.
Qui contra: Mihi desine imprecari,
Stulta, ac te potius calumniator.

Culpant pravi alios, tacent sua omnes.

VII. V. Sapphici.

Asperam Vulpes animosa sepem
Gestiens forti superare saltu,
Altius se ter, quater ampliusque
Extulit, dum mox rigidis prehensa
Sentibus multum gemeret, Ruboq;
Saucia hinc ergo pedem, & os & alvum,
Imprecata illi est. Sed is ipse contra:
Quin tibi tumet, stolidus, imprecator.

Propria ignorant, aliena cernunt

Crimina pravi.

VIII. V. Anapestici.

Saltu trans septa volare
Vulpes, aliquando laborans

Spinis

Spinis implexa resedit.
Totum ergo faucia vultum,
Tergumque femurque, pedesque
Spinis male dixit. At istæ
Sic respondisse feruntur.
Quin te culpaveris ipsam!

Taxant aliena subinde
Homines, sua crimina celant.

FABULA IX.

Περὶ κώνωπος καὶ ταύρου.

De Culice & Tauro.

Κώνωψ καθήσθω πρὸς κέρατα ταύρου πάλαι,

Ὅπως κέλευεν, εἰπὼς ἐκπτήναι θέλει.

Ἦκασε δ' ὡσπὲρ ἐκ ἔγνω καθήμενον,

Ὅτω δὲ μὴ πῆσαντο αἰθήσιν λάβη.

Πρὸς τὰς λογιζομένους ἑαυτὰς εἶναι ἢ σοφῶς,

ἢ δυνατῶς, ἢ φρονίμως, μὴ ὄντας δέ.

I. Versus Jambici.

Fortè infidebat cornibus Tauri Culex,
Quem mox rogat, sese avolare num velit?
Cui ille: ficuti sedentem nescii:
Sic avolantem neutiquam te sentiam.
Stultos inanis usque vexat gloria.

II. V. Sczontes.

Culex sedebat alterô in Bovis cornu,
Seq; an juberet avolare? quærebat.
Ut infidentem nescii, ille respondit,
Sic & nihil te curo subvolaturum.

Non sunt eâ virtute, quâ putant, multi.

III. V. Trochaici.

Improbis Tauri infidebat fortè cornibus Culex
Atque eum rogabat, inde vellet an volare se?
Bos cui: Velut pusillum te sedere nescii:

Sic

Sic nec herculè avolantem sentiam aut curavero.
Cerdo stultus sæpe prudens expet t viderier.

IV. V. Heroici.

Fortè culex Tauri curvis in cornibus hærens
Illum, num sese velit inde volare, rogabat.
Hic cui: Te sicut nescivi, impure, sedentem,
Talis & absentem nunquam quoque sensero, dixit.
Sæpe, nihil qui sit, magnus cupit ille videri.

V. V. Choriambici.

Nullâ mo'e Culex terribilis federat in Bovis
Cornu. Tum rogat: an sit gravior, numq; abiturum velit.
Sed Bos: sicut ego te minimè sensi, ô ineptule,
Sic & nesciero, seu maneat, seu revolaveris.
Vilis cerdo Thales sæpe sibi visus, & Hercules,

VI. V. Phalacii.

Tauri cornibus infidebat uncis
Rostellô improbulus Culex acutô,
Qvem mox voce rogat superbiore,
Numquid se jubeat volatu abire?
Ille at raucisonos ciens boatus
Hæc responsa dabat: Velut sedentem
Nescivi, pariter quoque avolantem
Te non sensero, inepte gloriator.
Sæpe excors sapiens sibi videtur.

VII. V. Sapphici.

Trama perparvi Culicis stupendô
In Bovis pendens aliquando cornu
Admodum audaci rogitare voce
Cœpit, an sese revolare vellet
Longiùs? Taurus sed ei regessit
O Thraso & demens, velut infidentem
Nescii temet, parili hercle pacto
Sentiam haud unquam, maneat volesve.
Sæpe qui nil est, aliquid sibi ipsi
Esse videtur.

D

VIII.

VIII. V. Anapaestici.

Culicis perparva figura
Per Tauri cornua reptans
Illum rogitabat, an ipsum
Procul inde volare juberet.
Vocem ast erupit in hancce
Contra is: Velut ipse sedentem
Nescivi, ita sensero nunquam,
Seu non, sive inde volari.
Sapiens sibi sæpe videtur
Vervece obtusior omni.

FABULA X.

Περὶ ἐλάφου, καὶ ἀμπέλου.
De Cervo & Vite,

Ἐλάφον ἐξ ἄλλων οἰκνηγέται
Ἦτις διασείας ἀμπέλοις ἀπεκρύβη.
Τὰ φύλλα βιβρώσκεισι δὴ τῶν ἀμπέλων,
Κυνηγεῖσιν ἐνδίκως ἐθροῖται.

Πρὸς τὰς κακοποιῶντας τὰς αὐτῶν εὐεργέτας.

I. Versus Jambici.

Fugata multum Cervæ Venatoribus
Densissimas latebat inter pampinos.
Frondes ubi sed illa cœpit carpere,
Venantibus fit præda jure æqvissimo.
Dignè perit, qui se juvantem læserit.

II. V. Sczontes.

Venantium vexata cœtibus Cervæ
Spississimâ se vitium abdidit fronde.
Cum palmites depasceret racemosque,
Justissimè à Venantibus fuit capta.
Evergetam qui lædit, est malò dignus.

III. V. Trochaici.

Latè anhela circumacta Cervæ Venatoribus
Densiores inter umbras abdidit se pampini.

Illā

Illā verò cum racemos atque frondes manderet,
Obtigit iusta hīc catervis præda conſectantibus.
Qui iuvantem lædit, illum vindices pœnæ premunt.

IV. V. Heroici.

Adverſis Cervus circum à Venantibus actus
Pampineas fugiens ſe conjiciebat in umbras.
Sed verò teneros ubi carperet ille racemos,
Venanti ceſſit juſtiſſima præda catervæ.
Quicumque ingratus, malò & hic digniſſimus omni.

V. V. Choriambici.

Venans æripedem turba diu Cervam agitaverat,
Hæc ſe præproperâ lapſa fugâ vitibus abdidit.
Sed verò auſa ubi erat dente malò frangere palmites,
Jure haud immeritò ſylvivagis præda fuit viris.
Dignâ ſorte perit, qui meritis fert malè gratiam.

VI. V. Phalæcii.

Horrendis agitatus à moloffis
Venantumqve globo ſequentē Cervus
Quæſivit pedibus celer ſalutem,
Ac ſe pampineas dedit ſub umbras.
Hīc vites ubi læderet feraces,
Dentesque imprimeret feros racemis,
Haud eſt immeritò deinde factus
ſectanti populo cupita præda.
Ingratum Nemefiſcomes ſequetur.

VII. Sapphici.

Preſſa Venantum ſtudiò atque multum
Cerva per notas agitata ſylvas
Vineam ſeſe in viridem recepit,
Fronde ſub cujus latitans agebat.
Hic tū verò folia atque vites
Carperet durò violenter ore,
Præda Venantum populo (1)petita

D 2

Jure

Jure mox facta est, meritisimóque.
Damna qui vir pro meritis rependit,
Damna mererur.

VIII. V. Anapestici.

Venantum â plebe fugatus
Vineta irrupit, & umbris,
Queis se illatebrârat (m) opacis,
Cervus securior egit.
Vites cum frangeret autem,
Disturbaretque racemos,
Sectanti hic justa catervæ
Præda extitit, atque prehensa est.
Qvi Servatoribus infert
Damnum, damnum ipse meretur.

NOTÆ ad FAB. X.

VII. (l) *Venantum populo*] i. e. turbæ. Ita *populus natorum* apud Ovidium Lib. VI. Metamorph. Fab. III. de VII. Niobes, ac Justinum Lib. X. cap. I. 6. de quinquaginta Artaxerxis filiis, quos Darius in societatem patris interficiendi assumpserat. *Populus amicorum* apud Senecam Lib. VI. de Beneficiis, Cap. XXXIII. *Populus navigantium* ap. Lucanum Lib. III. v. 665. *Populus Nympharum* ap. Apulejum Lib. V. p. 259. *Qvi & Sapedum populorum undas* pro maximâ formicarum multitudine Lib. VI. p. 269. omnium elegantissimè dixit. *Populus Martyrum* ap. Cyprianum Sermone de Mortalitate extr. *Populus Virtutum* ap. Prudentium Psychomachiâ v. 798. *Populus Umbrarum* ap. Eund. Hymnô ad Incensum Cerei Paschalis. Columella Lib. IX. Cap. XIII. de apibus: *Duo populi conjungi debent.* In quo Virgilium, puto, respexit. Sic enim ille Lib. IV. Georg. v. 4. pariter de apibus:

*Magnanimosq; duces, totiusque ordine gentis
Mores & studia, & populos, & pralia dicam.*

Ubi, sicuti & v. 95. ac v. 162. *gentis* quoque vocabulum illis tribuit. Quo patet etiam τὸ *vulgus* v. 69. usurpavit. Quod autem Sidonius Apollinaris Lib. VI. Epist. I. *Populum scelerum*, ac Martianus Capella *astrorum populum* dixerunt, id *durum & frivolum admodum est*, judice Buchnero in de Commutata Ratione Dicendi Lib. I. Cap. VI. p. 198. Vide Eundem Animadv. ad Venantii Fortunati Hymnum de Resurrectione Domini v. 81. nec non in Thesauro Fabri recognito, sub hâc voce, unde quædam excerptimus.

(m) *illatebrârat*] Q. Claudius Quadrigarius apud Gellium Noct. Attic. Lib. XVII. Cap. II. *Armâ plerique Abjiciunt, atque inermi illatebrant s. se.* Ad quæ Gellius: *Ibi illatebrant Verbum Poeticum & ssum est, sed non absurdum, neq; asperum*

asperum. Eleganter, ut omnia, D. Frid. Rappoltus, *Poëta nikó veterum minor.* censente Dn. L. Joach. Felleró, Poëseos Professore in Academia Lipsiensi celeberrimó Eiusdemque Bibliothecario Notis ad Petri Lotichii Eclogam, in quâ Serenissimæ Domus Saxonica & Palatina Origines percensentur p.90. hoc verbum de Syncretismo se ubique sensim insinuante ac irrepen- te usurpavit Librò Poëmatum suorum p.357.

*Nascitur gregi piorum nascitur pestis nova,
Sed fraudulenta sanctis illatebrat caribus.*

FABULA XI.

Περὶ ὄφιοσ καὶ γεωργῶ.
De Serpente & Agricola.

Ὁφίον θέλων τις ἀντ' ὀλέθρου παιδία
Πλήττειν, πέτραν ἔθρισσε, καὶ φιλεῖν θέλει.
Ὁφίς δέ φησι πῶς γένοιτο συμβάσεις.
Ἔως σὺ τύμβον, τὸν δ' ἐγὼ πέτραν βλέπω.
Ὅτι αἱ μεγάλαι ἐχθραὶ ἀδιάλλακτοί εἰσι.

I. *Versus Jambici.*

Quidam peremtum ob filium Aspidem volens
Ferire, petram conscidit. Mox gratiam
Offert. Sed Aspis: Qvænam, ait, fides, erit,
Si busta tu saxumque ego hoc conspexero?
Figuntur altius similtates graves.

II. *Versus Sczontes.*

Pro morte gnati Rusticus volens Angvem
Ferire discidit petram, & fidem fecit.
Qvî pax, reponit ille, vel fides fiet,
Qvoad sepulchrum tu, petram ipsemet spectro?
Gravissimæ non expiabiles iræ.

III. *V. Trochaici.*

Ob peremti fata nati Rusticanus gestiens
Aspidem ferire, saxa rupit, ac firmum obtulit
Post amorem. Cui sed illa: Qvænam erit conjunctio,
Filii si tu sepulchrum, & ipsa saxum hoc videro?
Altius sedens similtas difficulter tollitur.

D 3

IV.

IV. V. Heroici.

Ob gnati cædem rupto plexurus Agrestis
Serpentem saxo, post pacem ac fœdera spondet.
Sed Serpens: Quæ pax & nos concordia junget,
Si nati tu busta, & ego hoc conspexero saxum?
Subsidunt imis odia infestissima fibris.

V. V. Choriambici.

Mortem ob filioli Vir Colubrum ruricola apparans
Percussisse, petram discidit, ac pollicitus fidem est.
Sed Serpens: Bona quæ pax & amor nos iterum uniet,
Quando filioli tu tumultum, saxum ego videro?
Perstat grande odium, nec penitâ stirpe revellitur.

VI. V. Phalæcii.

Pro gnatô miserè admodum interemptô
Ulcisci Colubrum pater Colonus
Ac multare parans, acuta duræ
Rupit saxa petrae, fidem ac amorem
Deinceps pollicitus. Sed ille contra:
Quæ nos inter erit fides amorque,
Si tute ipse tui sepulchra nati,
Ista at saxa ego videro atque moles?
Durat perpetuum gravis similtas.

VII. V. Sapphici.

Quispiam ulturus miseranda gnati
Fata squamoso à Colubro perempti
Eruit petra lapides, amorem
Ac fidem posthæc stabilem professus.
Anguis ast illi: Quis amor fidesque
nos ligatura est propiore nexu,
Tu tui quando tumultum ipse gnati,
Atque ego tantos lapides videbo?
Vix similtatem penitus revellas
Pectore grandem.

VIII.

VIII. V. Anapestici.

Ob gnatum ad Tartara missum
Quærens punire Colonus
Serpentem, saxa diremit,
Ac post promisit amorem,
Sævo verum ille parenti:
Quinam nos inter amores,
Rogo, erunt, quoad ipse sepulchrum
Nati, atque ego saxa videbo?
Gravis est ubi causa doloris,
Odiorum ibi maxima radix.

FABULA XII.

Περὶ παιδὸς καὶ σκορπίου.
De Puero & Scorpione.

Ὡς ἀκρίδας ἤρπυε παῖς τις, σκορπίῳ
Πρῶτ' εἶπε χεῖρας. ὃς δὲ, μὴ ψάυσης, ἔφη.

Ὡς εἶγε μὲ ψάυσαι, ἐκ κόλπων ζένων,
καὶ τὰς ἀληθεῖς ἐκκενώσεις ἀκρίδας.

Ὅτι δεῖ κακοῖς ἀνθρώποις μὴ συμμίγνυσθαι.

I. Versus Jambici.

Puerprehendit dum locustas, Scorpio
Manum applicat. Sed hic: Cave, inquit, ô Puer,
Nec tange me. Quod si abnues, veras sinu
Gemens locustas flensque proturbaveris,
Periculosa cum malis sodalitas.

II. V. Scazontes.

Puer locustas colligens prehensurus
Jam Scorpionem dextrâ erat. Cave attingas,
Exclamat ille. Namque me simultanges,
Sinu Locustas promovebis hic veras.
Non tuta consuetudo cum malâ est turbâ.

III. V. Trochaici.

Dum Puer capit locustas, Scorpioni dexteram
Admoveret; sed iste eidem: Ne Puer, me tangito.

Si

Si negabis atque tanges, faxo sanè protinus,
Universas ut locustas de tuo turbes sinu.

Ne malorum misceatur, qui probus, consortio.

IV. V. Heroici.

Venatur dum insecta Puer gracilesque locustas,
Dextrâ erat admotâ prensurus Scorpionum. At ille:
Tangere me noli. Quod si perrexeris, omnes
Ocyus ex gremiô proturbes faxo locustas.

Sanctis te jungens fugias consortia prava.

V. V. Choriambici.

Parvus (n) fortè vacans acridibus mortiferam Nepem
Comprehensus erat. Sed Nepa ei: Tollere ne velis.
Quod si contigeris, mox faciam, plurimum ut ingemens
Veras de gremiô projicias ocyus acridas.

Ne sit prava tibi dulcis amor resque sodalitas.

VI. V. Phalacii.

Parvis insidias Puer locustis
Dum tenditque capitque, Scorpionum
Admoturus erat. manum paratam.
Mox hic: Tangere me, Puer, caveto.
Quod si nolueris negaverisque;
Audax improbulam tenere dextram,
jam veras faciam ocyus locustas
Ut fundas gremiô alius gemiscens.

Pravorum fugias sodalitates.

VII. V. Sapphici.

Parvulas venans Puer hinc & inde
Comprehendebat studiô Cicadas,
Jamque capturus gravidum venenô
Scorpionum palmis erat hic tenellis,
Ille cum: noli tetigisse, noli
Me Puer, dextramque inhibe paratam.
Si negas, jam jam faciam, universas

E sinu

E sinu ut turbes subito cicadas.
Improbos vitet Juvenis sodales
Aspide pejus.

VIII. V. Anapaestici.

Graciles dum forte locustas
Puer infectatur, in atram
Nepam is incidit, atque paravit
Agili illam prendere dextrâ.
Verum hæc : Me tangere nolis,
Moneo. Omnes namque locustas,
Si contrectaveris ipsam,
Gremio ejaculabere (o) novi.
Nigros vitato sodales
Cane pejus & angve, Juventus.

NOTÆ AD FAB. XII.

V. (n) *Parvus* i. e. Puer. Hanc enim vocem pro puerili aetate utriusque sexus
poni, & perperam Latino usu damnari à Sciolis notat Barthius ad Statium
Lib. I. Sylv. VI. v. 44. & aliquot ejus ac aliorum auctorum testimoniis probat.
Ita autem Papinius Carmine citato v. 43.

Unâ vescitur omnis Ordo mensa.

Parvi, Fœmina, Plebs, Eques, Senatus. Idem Lib. I. Theb. v. 609.

- - *Lateri duo corpora parvum dependent.*

Lib. VII. v. 93.

- - *Da, parve, tuam trieteride multa*

Instaurare diem. - Lib. eod. v. 520.

- *Liquistis enim parvosq; senesq;.* Lib. IX. v. 838.

- *Premittit hinc Mæsortia cuspis,*

Hinc plena tibi, parve, colus. -

Lucanus Lib. II. Pharsaliæ v. 108.

Crimine quò parvi cadem potuerunt mereri?

Quem verum cum apud Lucanum extare se non meminisse Vir summus pro-
fiteatur ad Statii lib. II. Theb. v. 305. Sed Lutatio intrusum suspicetur ex Se-
dulio, in compendium tamen reductum; neq; nisi in Lucano illum videat, no-
minis ejus suppositi & Seduliani commatis contracti absolvere velit, memo-
ria insigniter lapsus est. Adscripsit sanè eundem postea Lucano ad Statium
locò primùm productò. Nam post enarratas Thebaidem & Achilleidem, A-
nimadversione in Sylvas ejus Poëtæ à se confectas esse, Ipse in Epistolâ illis
præfixa AMICO LECTORI significavit. Cæterum tò parvus ac parvulus
E quæ

quæ duo Barthius communia habet, non solum *puerilem*, quod idem voluit, se & *infantilem* ætatem promilcuè indicant. De *puerili* loquitur Virgilius Ceiri v. 138. de Cupidine, quem v. 133. *puerum* dixerat:

Idem dum Superis acuebat parvulus iras.

Appulejus Lib. II. p. m. 180. *Conclamant ignem, req̄irunt saxa, parvulos ad exitum mulieris hortantur.* Prudentius Romanô v. 746.

Scis, sape dixi, cum docenti alluderet,

Isaac fuisse parvulum patri unicum.

De *Infantili* autem idem Poëta eodem Carmine v. 737.

Hic hic bibendus, nate, nunc tibi est calix,

Mille in Bethlehem quæm biberunt parvuli,

Oblita lactis & papillarum immemor Ætas. —

Appulejus lib. III. p. 190. *Quadam mulier parvulum quendam sine tolerans decurrit.* Et mox: *Parvuli hujus in primis annis destituti fortunæ succurrere.*

Solinus Cap. XIV. Edit. Reyher. *Mycenæ profugus matricida — natum sibi in Emathia parvulum mandaverat occuleandum.* Justinus Lib. I. Cap.

IV. 16. *Invenit juxta infantem canem feminam parvulo ubera prabentem.* Et paulò post: *Permutata sorte parvulorum.* Neque aliter accipiendus est Lucanus. Præcedunt enim v. 105.

Non senis extremum piguit & ergentibus annis

Præcipitare diem, nec primò in limine Vita

Infantis miseri nascentiarum pene fata.

Quid? quod *parvulus* infantulum nondum natum, sed adhuc in uterò matris clausum significet. Appulejus Lib. V. p. 246. verbis Cupidinis ad Psychem gravidam: *Istum parvulum nostrum imminentis ruinæ infortunio libera.* Cui pag. seqv. Psyche respondet: *Sic in hoc saltem parvulo cognoscam faciem tuam.*

VIII. (o) *Ejaculabere*] Varro in Fragmentis apud And. Senftlebius Notis ad Alant ab Infulis Parabolas Class. I. Parab. XLV. p. 57. *Fontes ejaculantur aquas.*

Ovidius Lib. I. Fastorum:

Sumque repentinas ejaculatus aquas.

Activè hoc verbum extulit Gellius Lib. XVI. Cap. XIX. de Arione loquens: *Cum quibus (fidibus puta & indumentis) se in salum ejaculaverat.* Appulejus item Anechomeno Carminibus Priapejis à Casp. Schoppiò subnexo v. 20.

Ejaculent tepidum rorem niveis laticibus.

Atque hæc paucula pro ingenioli modulò festinanter annotare hæc vice placuit, quæ ut æqui bonique consulantur, etiam atque etiam peto.

F I N I S.

175 = AB 101940

AB: 101940

ULB Halle 3
 002 422 557




Nr. 16 = Handschrift Sb.

V 17

Retro ✓







ΓΑΒΡΙΟΥ,
ἢ μάλλον
ΙΓΝΑΤΙΟΥ ΔΙΑΚΟΝΟΥ

ΤΕΤΡΑΣΤΙΚΩΝ
εἰς μύθους Αἰσωπικὰς
ΔΩΔΕΚΑΣ,

Sive
GABRIÆ,
feu potius
IGNATII DIACONI
TETRASTICHORUM

in Fabulas Æsopicas
DODECAS

Octuplici Versione Metricâ Latinâ,
cui Notæ quædam adjunctæ,
induta

CHRISTIANO GILBERTO,
BELGERANO.



D R E S D Æ
Typis JOHANNIS RIEDELII,
ANNO M DC LXXXIX.

